



**Carolus Emanuel Sabaudiae dux Caesareae Majestati. Serius  
fortasse quam res ipsa postulasset ...**

<https://hdl.handle.net/1874/10185>

1615

ff. 8B 266

# CAROLVS EMANV- EL SABAVDIAE DVX CÆSAREÆ MAIESTATI.



**S**ERIUS fortasse quam res ipsa postulasset, quam Majestas vestra expetijset, mihique proposuisset meæ hæ literæ Maiestati vestræ reddentur. Sed nimitum non est in nostra semper potestate, conceptis votis satisfacere, & enascensia indies negotia propensam plerunque cogunt differre voluntatem. Cogitanti enim mihi rerum mearum statum Maiestati vestræ per oratores aperire, & clementiam æquitatemque vestram in nova hac mea cum Hispaniarum Rege controversia non consulere modò, sed ad mei etiam iuris præsidium implorare; Cæsareum à Principe Castilioni decretum, cuius hoc est exemplum, mittitur.

*Cum Sacrae Cæsareæ Maiestati &c. Domino nostro clementissimo, per relationem & instrumenta autentica liquido demonstratum sit, mandatum Imperiale de exuctorando & dimittendo milite, omnibusq; ijs abolendis, quibus vel Montis ferratensis ditio infestari, vel pax in Italia, & tranquillitas publica quovis modo turbari possit, contra Illusterrimum D. Carolum Emanuelem Ducem Sabaudie, & Pedemontium, &c. Die octava, mensis Iulij, anno Domini millesexcentesimo decimo quarto, decretum ritè ac legitimè publicatum esse, adeo quod eiusdem mandati tenor & contenta ad plenam memorati D. Duci notitiam devenerint, hactenus vero nulla partitionis debita fides, vel coram Maiestate sua Cæsarea, vel eiusdem Commissario Imperiali facta sit. Hinc Maiestas sua Cæsarea eidem D. Duci iteratè, severè, serioq; iniungit ut sepè dicto mandato, confessim, & sine ulla ulteriori exceptione, vel tergiversatione in omnibus & per omnia satisfa-*

ciat : Militem suum quamprimum citra cuiusvis damnum deducat , & missum faciat , & ab omni deinceps actu hostili contra D . Cardinalem Mantue & Montis ferrati Ducem eiusq ditiones , aut alium quemcunque absqueat , & intra mensem insinuationem huius proximè secuturum , qui illi pro termino , & omni prorogatione ex officio praesigitur , in Aula Cæsarea plenè doceat se eisdem mandato , & sententia huc Cæsarea sufficienter ac per omnia paruisse : idq sub adiecta comminatione , si intra predictum terminum id ipsum facere neglexerint , quod ex nunc , prout ex tunc , & ex tunc prout ex nunc in pænam mandato insertam , declaratus , & actiores contra illum processus decreti intelligantur ; Decretum per Imperatorem die vi gesima quarta mensis Decembris , Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo quarto . subscriptio , Cancellarius Barvitus . ] Quare eo accepto , non potui non mediocriter commoveri , cum illud contra legum sanctiones , contra Majorum instituta , contraque communem consuetudinem in ea re qua gravissima esset , utpote in qua ageretur de iurenda Imperatorij banni nota Sabaudiæ Duci , Sacri Imperij Principi , Vicarioque in Italia perpetuo , nisi coactam militum manum dimissem , nulla loci distinctione ratum , nulla Cæsarea manus subscriptione signatum animadverterem . Quid illud item ? quamgrave lectu , quamque acerbum auditu fuit . quo ignarum præcedentium decretorum inscium omnium minarum , ac denunciationum à Vesta Maiestate profectarum , tanquam minus Cæsareis monitionibus obsequentem , severius increpare videtur , cumque Mediolani Gubernatorem Italæ statum tranquillum , jam multis ab hinc mensibus ingentibus armatorum copijs perturbantem , ditionisque meæ fines non invadentem modò , sed funesto conatu dissipare tentantem , coercere debuisset , perinde ac si ea quæ orbi manifesta sunt universo , ignoraret , nimios illius ausus dissimilans mihi soli iura mea æquissimè repetenti , ut ab armis ad mearum ditionum tutelam paratis discedam , pro summa imperat potestate ; Quid est autem oro iubere militum contra alium quemcunque di missionem , quam si his verbis Mediolani Gubernatorem intelligat , omnem omnino mihi in justissima causa defensionis , quam non humana jura modo , sed etiam divina concedunt , aditum intercludere , quam in tanto rerum mearum discrimine repositam in æquitate ve-

te vestra spem fraudare, quam hostium meorū manus ultrò ad meā  
meāque Provinciæ perniciem armare. Quæ quidem omnia invi-  
ctissimè Cæsar acrius fateor animum pupugissent meū, nisi medelā  
aliquā inflicto vulneri ea tulisset cogitatio decretū nimirum illud,  
aut vestra ignorante Maiestate fuisse promulgatum, aut callidorum,  
malevolorumque hominum insidijs ac fraudibus, ex vestris mani-  
bus excidisset, quibus difficile esse non potuit, fallacijs ignaram hu-  
iusce negotij Maiestatem Vestram circumvenire. Quare opportu-  
nè, sapienterque me facturum censeo, si inde usque ab initio repe-  
tens totius controversiæ statum Maiestati Vestrae breviter expo-  
suero, quo facilius causæ non dicam meæ; sed vestrae, æquitate per-  
specta integrum, absolutumque possit ferre iudicium. Quæ me res  
ad arma in Mantua Ducem suscipienda fuerit adhortata, & meo-  
rum scriptorum promulgatione, & totius orbis sermone, facilè cog-  
nosceré Maiestas Vestra potuit, nec dubito quin ad eiusdem aures  
pervenerit mea in secundandis Vestrae, Catholica que Maiestatis  
votis celeritas, cum ad eatundem nitum oppida, quæ mihi jure de-  
bentur, à me Montisferrensi ditione expugnata restitui. Quò  
quidem tempore lubeat ad memoriā revocare quā multa, quā  
magna, quā varia Mediolani Gubernator nutanti quanquam fi-  
de promiserit. Nam dum præstiti obsequij præmium, quasi ali-  
quod promissorum solutionem præsolatur animus, fidem quam  
plurium testium approbatione obstrinxisset, fronte non satis vere-  
cunda invertit: pollicitationes magna ex parte negat, quas verò  
infirmare nullo modo potest, dissimulando & procrastinando  
implere nihil planè laborat. Nec eo contentus, non multò post  
Hispaniarum Regis nomine, duo mihi præcipere non voletur.  
Primùm nempe ut vix bis mille Helverijs ad necessariam status mei  
defensionem diu vocatis, cum ipso foedere iunctis, mihi que iam-  
pridem are castrensi obligatis, nullam suspicionem sua paucitate  
proximis, Regiæque præsertim Maiestati incutientibus nuncium  
remittam: Alterum ne filiam meam Infantem olim Mantua  
Ducissam nuperrimo Mantua Ducis connubio copulare cuncte,  
tum demum se facturum spondet, ut de controversijs meis eum D.  
Mantuæ Duce, quæ tunc expediri non possent, agereur.

Quibus quidem petitionibus, quòd re&æ rationi adversari videtur, cum non nisi sedatis controversijs facere me posse satis per literas, Oratoresque meos significasset, jamque Regiae me voluntati cumulatè respondisse, mihi persuasissimè, novum quiddam Mediolanii Gubernator comminiscitur, placere nimirum sibi si non summo jure res agatur, sed amicè controversiæ componantur: proinde certos meos homines Mediolanum allegarem, quòd jam delecti totidem à D. Mantua Duce convenissent, qui de tota re meo nomine disceptarent. Acquiescendum igitur Gubernatoris desiderio existimavi, non ut pervicaciæ solùm notam effugerem, sed etiam ut quam meæ publicæque totius Italæ quieti studerem, certissimo testimonio comprobarem: Tres Viros Iurisprudentiæ fatis gnavos Mediolanum mitto, qui diu ibidem commorati conciliandæ tandem controversiæ caussa capita quædam, sapientiæ, atque diversa, quamquam juribus meis iniqua, & causæ bonitati longè inferiora, proposuerunt. Quid hic Gubernator? Homo nimirum conciliandæ pacis studiosus, & in fide constans, ingentem peditem & equitum exercitum in agro Mediolanensi, finitimisque ditionibus cogi, & conscribi clanculū imperat, tum meos homines re infecta discedere, mihique renunciare jubet, actum esse ex Regis rescripto, de controversiarum compositione, nisi prius arma de mea Provincia sustulero, filiamque matrimonio junxero; Quin imo eam sibi à Regge curam esse demandatam ad ea quæ jussisset, non inclinandi me modò, sed etiam vi, armisque cogendi. In hac autem tam acerba severaque denunciatione, quid consilij ceperim, quid egerim, non modò publicè provulgata mea scripta testantur, sed etiam fidem faciet, qui non multò post venit, testis locupletissimus Reverendissimus D. Savellus Sanctissimi D. Nostri Nuncius, qui cum me non renitentem, sed volentem ultrò ad armorum depositionem, quæ coeteroqui à potentiori prius requirebatur, invitasset, ad eam repetit paratissimum; ea duntaxat conditione contentum, qua Mediolani Gubernatorem apud Sanctissimum Dominum nostrum Christianissimum Regem, Serenissimamque Venetorum Rempubl. fidem obligare postulabam, nihil se in posterum contra meas ditiones moliturum, & contra me conflatam armatorum manum dimissurum. Horum tamen omnium recepturum, sc nihil affirmavit,

vit, sed ad Provinciæ meæ excidiū , quām ad Italiam quietem promptior , eodem tempore exercitum sanè ingentem in agrum Vercellensem deducens, nonnulla illius oppida spoliat, evertit, flammisq; miserandum in modum absuluit. Itaque ut laboranti ditioni quoque modo opem offerrem aliquam, & furentiū hostium vehementiores impetus aliò diverterem, ad Novariam Mediolanensis status urbem copias meas perduxī, ulciscendarumque offensarum opportunitatem mihi haud quaquam defuisse, satis ostendi. Potui, non inficiar, Novariam nullo negotio non satis tuto munitam, præsidio expugnare, totamque Mediolanensem regionem in ultimum, si voluissem, discrimen adducere, verum ut studium publicæ quietis, & observantiam meam Catholica Maiestas experiretur, non modò dolori parcendum existimavi, sed etiam revertens, ne quis militum Novarienses fines incolasque lèdere auderet, edicto cavi severissimo . Quid plura? Cum Vercellis mihi commoranti, Reverendissimus Savellus Nuncius Apostolicus, & Illustrissimus Marchio Rambolietus Christianissimi Regis Orator, ad meam totiusque Italiam quietem servandam in columnen, pacis capita quædam, meis quamvis satis obnoxia commodis proposuissent approbavi, & manu propria consignavi; Quin imò ijdem certa spe ducti futurum, ut quemadmodum sibi persuadebant à Gubernatore rata haberētur, & propriæ manus nota insignerentur, atque adeo meo me muneri fecisse satis existimantes, nihilque amplius in hoc negotio oportere requiri, confirmata in iam pacem ore proprio promulgaverūt: sefellit nihilominus ut in coeteris, non modo expectationem, sed etiam fidem inopinatus eventus. Siquidem enim Gubernator subscribere recusavit, tum Rex ipse responsione, quam intrà certos dies præstolabamur, neglecta, ut imparatum me, ac nihil tale cogitantem, opprimetur, clam Gubernatori per literas committit, ut quām citissimè meos in fines irrumpat, ceptumque contra me bellum acerrimè prosequatur. Nec vereor quin de meo iam statu hoc tempore cōclamatum esset, nisi me hæ ipsæ literæ divinitus, ut credere mihi fas est, oblatæ quarumque exemplum Maiestati vestræ mittendū curavimus, de summa rei certiore reddidissent. Quare quis mihi tandem jure succenseat, si toties fractâ fide lacepsitus, si ad meam filiorum ditionumque mearum salutem, famamque in tuto collocandam, si ad I-

talitæ imo Sacri Imperij libertatem dignitatemque ab infessimis mil-  
hi hostibus vindicandam ad arma confugio. Quam enim alienum  
illud, à Maiestate vestra esset, quam turpe haberetur, si Italicum Im-  
perium Imperatori, ut Romanorum Regi commissum, te uno im-  
perante ad Hispanicum Regnum, quod à te Ducatum Mediolanen-  
sem, & utriusque Siciliæ Regnum à summo Pontifice recognoscit,  
adumbrata quadam *falsa religionis & publicæ pacis specie* translatum  
fuisse, orbis queretur universus. Quid deinde dicturum censemus.  
cum eo progressos impunè Hispanorum conatus intelliget, ut Sa-  
baudia Ducem maioribus celeberrimum, Europeorum Regum af-  
finitate & sanguine clarissimum, Sacri Imperij Principem, Vicari-  
umque in Italia perpetuum, à Saxonica stirpe ducentem originem,  
amplæ ditionis in Italia diu ante Hispanorum adventum clavū ad-  
ministrantem, sua equissimo jure reposcentem, nihilque contra eos  
molientem, non modò minis terrere : sed etiam armata manu ag-  
gredi, & ad bellum nolentem provocare non dubitarint. Iam verò  
quo animo Germanico, sacrique Imperij Principes id laturos esse  
putandum est. Cum eos Astensis civitatis totiusque comitatus ju-  
ra, quæ à sacro Imperio recognosco, affixo ad id in proximo civita-  
ti loco, edicto, cum in ea variorum Principum stipatus Oratoribus  
degerem, sibi vendicare, & civitatē, comitatūmque omnem, perin-  
de ac si eum à Regis Hispaniæ directo Dominio, assumptis contra  
ipsum armis, semovissem, ad eius Cameram devolutum, subditosq;  
ac Vasallos à præstita Sabaudia Duci fide solutos, omnino contен-  
dere, certior fama vulgarit. Non enim non poterunt summi illi  
Principes ad huius rei nuntium non commoveri, quam & publico  
meo scripto publicis in locis regionis Mediolanensis promulgato  
inanem esse constat, & vel ipsis Magistratibus Mediolanensibus ri-  
diculam ineptāque esse visam certò scimus. Quid cum inaudierint  
eodem tempore à Marchione Sancte crucis in littore Ligustico, im-  
plorato Ianuensiū auxilio ingenti classe inermia mea Vneliæ, Ma-  
cri, Petraeque latæ oppida, quæ Serenissimus Dux Emmanuel Pater  
meus à liberis hominibus coëmpta, Sacri Imperij subjeccerat potes-  
tati, & in investitura unà cum alijs suis ditionibus nominari volue-  
rat, fuisse occupata, & hac ipsa tempestate teneri? Quam vereor ne  
conceptam de Hispanorum nimia fortasse habendi cupiditate con-  
firment

firmemt opinionem. Hinc etiam Maiestas vestra coniucere poterit, quo consilio quædam oppidula, ad Sacrum quidem Imperium pertinentia, sed in mearum ditionum visceribus sita præoccupanda cogitarini, scilicet ut & ab Hispanorum armatorum irruptione, & expilatione servarem, measque regiones minori periculo ab corundē conatibus tuerer. Ego enim sic existimabam horū oppidorum occupationem ad eum pertinere, qui ea integrē pacatis rebus restitutum se Maiestati vestræ rescriperit, publicoq; actu fuerit professus, qui perpetuus in Italia Sacri Imperij Vicarius nominetur: qui denique solus haec tempestate in Italia relictus sit Imperij Princeps, & Maiestatis vestræ Vasallus, à quo in eam vel Imperatoria Coronæ capienda, vel alia de causa descendens, sacra vestra persona deducetur, & exornaretur. Num enim Hispaniæ Regem, qui se in Italia Cefarem gerit, Maiestatis vestræ pompam prosecuturu putamus? Num Venetorum Rempublicam, num Iauensem, num Hætruriæ Ducem vestrum adventum comitatu suo celebraturos ex officio censemus? At iij se ab Imperio liberosesse gloriantur. Quid ipse Mantua Dux ab Hispaniæ cum Rege pendere, eius observare nutus, eius se patrocinio commisissé, se denique suaque omnia eidem proximè devovisse, quis ignorat? Quid reliqui Duces? Nonne fermè omnes Apostolicam sedem recognoscunt, & ab eadem in dignitatem assumentur. Me ergo solum ad vestræ Maiestatis splendorem, dignitatēque reservatum, me Germanicum Principē, me ditiones meas, maiorūmque meorum Imperatorum liberalitati referentem acceptas, Hispani vestra sciente Maiestate, bello laceſſere & oppugnare audeant? Romanorum Regis titulum, quem Maiestas vestra gerit ad auguſtissimos ditionum mearum fines redactum, in subdit, Vafallique persona violari, excindique patietur. Quem Maiestas vestra omni ope juvare, ac viribus omnibus etiam contra gentiles suos, si res postularet, tueri deberet, hūc Hispanorum armis opprimendū, & tanquam mancipium à Mediolani Gubernatore pessimè habendum, non judicabit modò, sed etiam severa Imperatorijs Banni denunciatione, quod se suasque, imo potius vestræ Maiestatis, ditiones defenderit, puniendū existimabit? quid enim tandem erit illud tam grave, tamque acerbum, quod Hispanos ad arma contra meas regiones capescenda, quod Maiestatem vestram ad Imperatorium edictū

contra me promulgandum impulerit? An quia jubenti mihi legi  
arma deponere statim non paruit. At unde nova hæc Hispanorum  
Regum in Sacri Imperij Principes auctoritas? Vnde nova hæc om-  
nino potestas? Quo tandem signo eandem comprobabunt? Certè  
dignus est Rex, cui cum præstítam à Principibus Italæ, & presertim  
à me, non ex officio, aut jure, sed ex benevolentia & sanguinis con-  
junctione voluntariam observantiam non cognoverit, ea in poste-  
rum jure merito non amplius exhibeatur. Deinde cum Illustrissi-  
mis Oratoribus ab armis discessurum me spopondísem, cur, ut ex-  
petieram, me metu, ne quid contra me moliretur, periculóque non  
liberavit? An quia armata manu ditionem Mediolanensem invasi?  
At prior ille meos in fines non irrupit modò, sed etiam nefariè per  
suum militem est debacchatus. Quod porrò detrimentum, quam  
illatam ditioni jaeturam enumerabit? Habeo tamen ego quæ ab ip-  
sius militibus flagitiōse patrata proferam; domorum expilationes,  
armentorum rapinas, oppidorum demum incendia; An quia vellus  
aureum restitui? At id si sapiunt Hispani observantia potius in Re-  
gem meæ tribuendum existimabunt, cum neque me armis defende-  
re contra ipsum, nisi restituto Velleris aurei torque ausus fuerim;  
indignum planè futurum censens. si torquatus Regis eques, con-  
tra ipsius Regis arma, quanquam mea tutando pugnasse; An po-  
stremò, quia male actum sit, post mariti discessum, cum oratoris  
Hispaniae uxore, quæ non prius Taurino discedere permissa est,  
quam æs alienū universum in quotidiana annona, viuctuque contra-  
Etum, dissolveret? At quam ridiculum est, & ineptum, criminis mihi  
assignare, quod omnino inscio me factum est, cum Vercellis in ca-  
stris commorarer, quique si adfuisse, summam hanc ære proprio  
persolvisse. Iam vero Magistratus in quo peccavit? Iure ne suum  
æs reposcentibus denegaret? quam sapienter eandem Dominam huma-  
niter monuit, ut justam pecunię magnitudinem misericordia hominibus  
solveret, & ab se hanc infamia notam averteret? recusante tandem  
illa crediti pretij solutionem, invitius quanquam, parvæ supellecti-  
lis sequestrationem indulxit, eandemque paulò post relaxavit. Sed  
demus, offenderit in aliquo arma ne ideo suscipienda acriterne adeo  
levis injuria vindicanda? Imperatorione ob id Banno notandus  
Dux? Hispanis potius armorum erat præscribenda dimissio, qui ea-  
dem

dem nulla de causa , sed falsa quædam publicæ quietis specie sumpererunt,in eos erat Banni fulmen intorquendum,non in me , quem toties illi fracta fide decepissent, cuius subditos à præstita fide conati fuissent avocare , cuius ditiones per vim ingressi fuissent , occupas- sentque. Arma cepi, non nego, sed coactus. Mediolanensem ditionem invasi , sed lacesitus. Quid illi Duces gloriofissimi maiores mei ? Quandiu in Italia, sexcentorum scilicet fermè annorum spa-  
tio,bella gesserunt ? quot ditiones armis in suam potestatem redegerunt ? quot vicinos Principes ad fidei Sacramentum ipsis præstandum compulerunt ? Nusquam tamen ab Imperatore ullo in eos Imperatorio Banno animadversum fuisse reperiemus. Me unum ergo ex tot Ducibus Castilioni Princeps, non tam vestræ Maiestatis,quâm Hispaniæ Regis Minister, à quo vellus aureum & redditus annuos accepit, suo illo edicto in crimen vocabit ? in me Imperatorij Banni acceptam , ut censeo , à Gubernatore Medioli- ni sententiam ferre non erubescet ? Nunquam enim adducar , ut credam tantum diploma nullo loci argumento comprobatum , & Imperatoria nequaquam manu , ut par erat , consignatum à vestra Maiestate profectum , sed vel omnino falsum esse , vel ab ipso Gu- bernatore à vestræ Majestatis Ministris subreptum fuisse constan- tiissimè semper affirmabo. Quæ cum ita sint , invictissime Cæsar, nihil jam aliud reliquum esse videtur,quam ut causæ meæ æquitate cognita , suprema auctoritate vestra, à quâ tanquam ab oraculo non ipse solum, sed orbis pendet universus contra me provulgatum edi- tum, (quippe quod vestra ignorante , nec annuente Majestate sit editum) nullum, ac planè irritum esse decernat , & omnibus inno- centiam declareret meam, Ministrosque qui subscripterunt, severiore pœnâ coërceat. Partes etiam Majestatis Vestræ erunt, Hispaniarum Regi, utpote Duci Mediolani , ac Sacri Imperij Vasallo , pro summa potestate imperare , ut coætas sine causa in meam perni- ciem copias , quâm celerrimè dimittat , à me subscripta pacis capita propriæ manus nota confirmet , & Italiam , circumsonantium His- panicorum armorum strepitum turbatam , metu liberet universam : At verò Mediolani Gubernaterem furentibus animis ultrò , belli faces subdentem, ut inde pecunia vîm extrahat ingentem : Et Re- gis auribus de me multa falso insulciantem , objurgatum qua par

est multa castiget. Sic enim futurum spero, ut Majestas Vestra suam, ac Sacri Imperij auctoritatem in Italia, quæ alioqui in Hispaniam transfertur, maiori cum laude tueatur. Quod autem ad me attinet non modò ad suscepta pro mea incolumente arma depoñenda, sed ad mea omnia, vitamque ipsam ad illius nutum maiorum meorum exemplo, profundendam. Maiestas Vestra experietur paratissimum. Interim dum Majestatis Vestrae clementiam, æquitatemque singularem mihi in arduis hisce contra Hispanos controversijs præsentem, secundissimamque futuram spero, ut eandem quam diutissime servet incolumente obnoxie à summo rerum omnium largitorre Deo comprecabor.